DE NOMINE, AUCTORE, EMENDATORIBUS, ET AUTHENTIA...

Giuseppe Brunati

TYPIS ANTONII STRAUSS

DE NOMINE,

AUCTORE, EMENDATORIBUS,

ET

AUTHENTIA VULGATAE

DISSERTATIO

TYPIS TAURINENS. ITALICE EDITA

A

JOSEPHO BRUNATI,

PROFESSORE LINGUAE HEBR. ET SACRAE SCRIPTURAE
IN SEMINARIO BRIXIENSI.



VIENNAE.
APUD FRIDERICUM VOLKE.

MDCCCXXVII.



I.

Libros illos, qui afflante et ducente Spiritu Sancto, conscripti fuerunt, quorumque interpres errori non obnoxie, et custos nullo tempore defutura, ab eoque divino Spiritu posita, Sancta Ecclesia est, fundamentum et normam Fidei morumque nostrorum habendos esse, perspectum exploratumque est. Verum enimvero cum versiones eorum variae inveniantur, scire juvet utrum ex textu originali solummodo vel etiam ex istis ceu rivulis ex eodem fonte manantibus haurienda sit veritas, ac utrum omnium versionum aequalis nsus sit faciendus. Fuit itaque sapientissimum consilium Patrum venerandorum SS. Concilii Tridentini, quod ediderint decretum, quo nobis patescet, qui sint libri divini, vel canonici, nempe illi, qui in Vulgata latina continentur, quaeque hujus sit auctoritas.

Africa, in Hispania, in Gallia, et in tota Latina Ecclesia Vulgaris evaserat; tum alia Versiona Latina adornata, de qua nobis sermo erit, ipsa a Saeculo VI. in oblivionem pedatentim venit, et posterioribus saeculis penitus obliterata fuit, donec Nobilius fragmanta in antiquis Latinis Patribus, qui ea usi fuerant, sparsa hinc inde collegit, et B. Cardinalis Thomasius, Martianaeus, Bianchinus, et Sabatierius studium contulerunt suum, ut eam nobis ex codicibus variis, et ex citationibus antiquorum Patrum quasi integram restituerent. Quemadmodum vero Varsio nostra tempore Concilii Tridentini jam a novem Saeculis in universa Ecclesia Latina communis facta fuerat, sic jura *Vetus* et *Vulgata Editio* nuncupabatur. Quod additionis nomen, idque obiter dictum sit, idem valat ac Librum siva calamo, siva typis expressum, siva originale, siva translatum.

Transeamus nunc ad Vulgatae nostrae Auctorem. Sabatiarius [7]) libros Ecclesiastici, Sapientiae, Maccabaeorum, et Prophe-

tiam Baruch in Vulgata nostra esse contendit ex versione Itala ad fidem textus Graeci aliquantum emendata ab ignota manu, prout et ipsius Italae Auctor ignotus est. Consonat Sabatierio etiam Bianchinus [a]) cum in dictis Vulgatae Libris inveniat Italam ad fidem textus originalis revisam; at Divum Hieronymum ipsam emendasse conjicit, perinde ac si ille a proposito Libros Antiqui Foederis, quos in hebraico textu non legebat, intactos relinquendi recessisset, cum et quoad auctoritatem Libri Judith illum sententiam mutasse sciamus [b]).

Inter Vulgatam cum *additamentis* ad Caput III. Danielis et Antiquam Versionem Latinam a B. Thomasio et a Sabatierio datam discrepantiae sunt; item in historia Susannae quae a prisca Versione Latina discrepat, quamque idem Sabatierius edidit; idemque dicere possemus de Vulgata quoad historiam Beli et Draconis, si antiquae ejus Versionis Latinae fragmentum aliquod, quo cum conferri posset, nobis rema-

neret. Animadvertatur praeterea in fine additamentorum ad Caput III. Danielis legi verba haec, quae a Divo Hieronymo posita videntur. *Hucusque in Hebraeo non habetur; et quae posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.* In principio autem Historiae Susannae, quam in Danielis Libro Historia Belli et Draconis sequitur, legimus; *quae sequuntur usque ad finem Libri, de Theodotionis editione translata sunt.* Hieronymus [18]) affirmat se in Versione sua Danielis ista sic dicta additamenta obelo praefixo admisisse, non tamen clare dicit, se ea recenter ex Theodotione vertisse. Attamen nemini melius quam D. Hieronymo labor iste adscribi potest.

Nec minus Vulgata *additamentorum* in Libro Esther differt ab antiqua Versione Latina, cujus B. Thomasius, Bianchinus, et Sabatierius [19]) copiosa nobis fragmenta praebent. Ex quo inferre licet D. Hieronymum etiam particulas has Vulgatae, noto obelo praemisso, perficere potuisse ad fidem Versionis LXX Interpretum, quae ad distin-

ctinuem Hexaplaris Editinnis *κοινὴ* seu *Communis* vocatur [12]).

Etiam Vulgata nostra Librorum Tobiae et Judith Latina Versio antiqua esse non potest, cum ab ea discrepet, sicut ex fragmentis quae Bianchinus et Sabatierius [13]) nobis dederunt, colligimus, sed est Versio horum Librorum quam Hieronymus ex Caldaico Textu confecerat, sicut ex *Praefationibus* ejus in eosdem innotescit.

Vulgata Psalmorum inter tres exegeticos labores, quos Hieronymus super Psalmos exhausit, locum obtinet. Ipse fortasse Romae supra Editionem [14]) quae *κοινὴ* seu communis appellatur, antiquam Versionem Latinam Psalmorum, quae paucis immutatis, in Ecclesia Ambrosiana, et Toleti in Sacello ritus mozarabici nostris adhuc diebus canitur, quaeque reperitur in Codicibus nonnullis et in Operibus quorundam Patrum, cujus reliquias Divi Augustini Operum Maurinae Editor [15]) et Sabatierius collegerunt, ante omnia recognovit. Hieronymianus labor iste primus extat in Psalte-

rio Romano a B. Thomasio, Martianaeo, et Vallarsio edito [16]), et adhuc hodie in Basilica Vaticana est in usu, sicut etiam Venetiis in illa D. Marci, Republica stante, canebatur [17]). Post haec praelaudatus Doctor Maximus veterem latinum psalmorum versionem [18]) juxta editionem Hexaplarem rursus emendavit Origenianis interpositis additamentis cum asteriscis, et obelis, ut sic, quod in Versione praeter originale hebraicum erat, indicaret. Et iste Hieronymi labor simul cum obelis et asteriscis in psalterio Gallicano habetur et inter ejusdem Opera reperiri potest [19]). Idem secundus Hieronymi labor super Psalmos sine obelis et asteriscis in Vulgata habetur. Tertio S. Hieronymus ex integro in latinum ex hebraico textu psalmos transtulit; et Versio haec in Operibus ejus legitur [20]). Sententia mea haec de tribus laboribus D. Hieronymi super psalterium fusius explicata et comprobata apud Calmetum [21]) et apud doctum Operum D. Hieronymi Veronensem Editorem reperitur [22]).

Evangelia, uti in Vulgata Novi Foederis leguntur, videntur esse juxta antiquam versionem, quam Hieronymus ad fidem graecam revocavit; et de aliis libris juxta sententiam Venerabilis Cardinalis Bellarmini [23]), Millii [24]) et praelaudati Veronensis Editoris haud aliter sentiendum esse mihi persuasum est [25]). Hoc etiam idem D. Doctor his verbis testari videtur [26]), *Novum Testamentum graecae fidei reddidi*. Millius vero qui per triginta annos in sua editione Novi Testamenti Graeci laboraverat, Versionem Italam variorum Librorum Novi Foederis variarum manuum opus esse arbitratur, considerata stili diversitate, quae juxta illum deprehenditur.

Retuli sic paucis quidquid de Auctore Vulgatae nostrae verosimilius notum mihi est; quae materia apud plures, qui talia tractant, incerte, diversimode, et confuse nimis evolvitur. Videndum modo, quinam diversis temporibus praesertim ab erroribus Librariorum emendationi Vulgatae Nostrae incubuerint. Et initio statim conside-

randum est, tunc temporis cum antiqua Apographa Versionis Hieronymianae deesse non poterant, Alcuinum Saeculi sui ornamentum, urgente Carolo Magno ejus discipulo aggressum fuisse ad Vulgatam juxta antiquam Lectionem revocandam et Anno DCCCII. opus suum parfecisse, quod et Auctoris celebritate et Caroli Magni voluntate moventibus, ubique receptum fuit, et cujus autographum in Vallicellana [17]) Bibliotheca Romae asservari putatur. Anno MLXXXIX. Laufrancus Monachus primo at dein Episcopus Cantuariensis idem aggressus, exegit opus quod magni habitum, et in Britannia, Galliaque libentar admissum fuit [18]). Horum exempla Stephanus Cistercii III. Abbas secutus aliquorum Hebraeorum ope textum hebraicum contulit, ejusque opus, quod certa nimiam libertatem redolet, universo Sodalitio suo praescriptum fuit. In eadem Cistarcii Bibliotheca autographum illius asservabatur [19]). Anno MCL Nicolaus Cardinalis diaconus ad S. Damasum similem laborem sub-

iit [30]). Anno MCCXXXVI. Patres Dominicani Parisienses seu Galli [31]) facta super codices antiquos Alcuinianae Editionis nec non super textum Hebraicum et super Versionem LXX. Interpretum Vulgatae revisione, in margine, quae emendatione indigere putabant, indicarunt. Opus hocce, quod *correctorium* inscribitur, omnibus ejusdem Familiae ut exemplar propositum fuit, illiusque codex originarius Parisiis in Bibliotheca memoratorum Patrum adservabatur Vulgatae *Correctores* alii in Bibliothecis plures reperiebantur, in quibus studiose notabant quae plus minusve docte iis corrigenda esse visa sunt, quos tamen a Rogerio Bacone in Tractatu suo ad Clementem IV. severa censoris nota signatos observamus [32]).

Typographia inventa labores omnes hucusque pro integritate Vulgatae exantlati fere exigui momenti habendi sunt. Inde ab hac epocha plures operam suam navarunt Vulgatae ad antiquum statum revocandae de quo in Bibliotheca Lelongii fusius tracta-

tur. Unum alterumve tantum ex potioribus recensebo, inprimisque Cardinalem Ximenes, vel doctos viros, qui auspice eo, laboraverunt, quique Anno MDXVII. in Polyglottis Complutensibus Vulgatem revisem *super multa exemplaria venerandae antiquitatis* typis luci publicae donarunt [1]). Robertus Stephanus, quamvis ergo Novatorum doctrinae non omnis studii expers, paucis adjutus codicibus, iteratis laboribus in emendatione Vulgatae desudavit, exindeque nobis plures editiones dedit, quarum prima Anno MDXXVIII. publice prodivit. Anno MDLXII Isidorus Clarius antea Abbes Casinensis dein Episcopus Fulginii, Vulgatam a se super textus originales recognitam Venetiis vulgavit. Prouti vero ipse antiquis Manuscriptis usus non fuerat, quo proprius ad priscam lectionem Vulgatam reduceret, et ex alia parte aliquantulum justo liberiorem in suis mutationibus se praebuerat, sic textum ejus, Vulgatae Editionis verae textum non esse, Indicis Tridentinae Synodi III. Regula sic admonemur. *Ejus tex-*

tum nemo textum Vulgatae Editionis esse existimet. Praeterea Prologus ejusdem prohibitus in quo leguntur expressiones nimis vehementes minusque osutae [34]). Post Clarium majori cum laude et accuratiori methodo, ut, quam melius fieri posset, ad primaevum ejus statum redactam nostram Vulgatam daret, Lovaniensis Universitas, et Joannes Henthenius praesertim adhibitis triginta quatuor Codicibus operi se accinxit; hinc Anno MDXLVII. Vulgata Lovaniensis in lucem prodiit, quae quidem in posterioribus Editionibus ope aliorum Codicum, et sollicitudine aliorum doctorum, virorum meliorem formam consecuta est [35]).

Insignis etiam Parisiorum Universitas Anno MDXIII. publici Juris fecit sua *Biblia Sacra Veteris et Novi Testamenti ab aliquot Theologis Parisiensibus accurate recognita et emendata cum Praefatione Jacobi Fabri Doctoris Sorbonici, et Scholiis Joannis Benedicti ad marginem.* At ex Praefatione illa colligere non licet, utrum Vulgatae Editionis hujus causa manuscripta exemplaria consulta

fuerint. Quidquid sit, omnes labores hos superarunt illi, qui sub auspiciis Pontificum Romanorum deinceps suscepti fuerunt. Sessione IV. Concilii Tridentini sub Paulo III. octava die Aprilis MDXLVI. habita eodem Decreto, quo auctoritas et usus Vulgatae declaratur, praecipitur, *ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa Vetus et Vulgata Editio quam emendatissime imprimatur.* Quapropter sub eodem Pontifice nonnulli Concilii Patres Tridentina ipsa in urbe manum operi admoverunt; sed ipsius Pontificis jussu ibi suspensum et melius commodiusque in tempus dilatum. Pius IV. et V.[36]), Gregorius XIII.[37]) negotium tanti momenti haud neglexerunt. Sed imponere finem labori huic sollicitudinibus Sixti V. reservatum erat. Ipse, postquam Anno MDLXXXVII. celebrem suam Editionem Versionis LXX. Interpretum edidisset doctorum suisque curis, nsu aliquorum veterum Codicum Vulgatae, antiquorum Patrum et Doctorum, nec non exemplarium hebraeorum et graecorum, ubi

Latinorum lectio dubia et obscura esset, doctissima Bulla praemissa [38]) suam Editionem Vulgatae Anno MDXC. in vulgus dare potuit. Sed negligentiis quibusdam, quae in ea irrepserant, notatis, exemplaria ulterius vendi vetuit, opusque recognosci, iterumque imprimi mandavit Quo consilio non impleto nec ab ipso nec a Gregorio XIV, qui post Urbanum VII. illi successerat, quique Viros doctrina praeditos operi praefecerat [39]), Clemens VIII. post Innocentium IX. memorati Gregorii successor feliciter glorioseque illud perfecit praestantissimorum hominum studio et cura, qui propterea nova examina exactissima susceperunt; hinc MDXCII. lucem aspexit ejus Editio prima fronte Sixti V. nomine insignita, praemissaque Bulla ejus, quam *Praefatio ad Lectorem* sequitur, quae Cardinali Bellarmino tribuitur [40]) cui alia iterum brevior Clementis VIII. Bulla succedit [41]) Observandum tamen est, quod si attente et juxta accuratioris criticae regulas inter Vulgatam Sixti V. et inter il-

lam Clementis VIII. examen instituitur; *Nulla est in utroque Pontifice repugnantia*, ut Bukentopns ait [42]), *nulla in utrisque Bibliis alia credendi aut agendi, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo*, quidquid James [43]) et imitator ejus Amama [44]) insolentissime objiciant, sicut facile deprehendi potest etiam e collatione praecipuarum variarum lectionum, quae in duabus Editionibus notantur, quas his duobus scriptoribus non infensus Hodyus collectas exhibet [45]). Professor Joannes Bernardus De-Rossi [46]) sic in re nostra scribit: Bukentopns collegit in libro suo „*lux de luce* „omnes differentias quae Sixtinam inter „et duas Clementinas (annorum MDXCII. „et sequentis) reperiuntur, quae criticam „tantum respiciunt, minimeque favent vel „tuentur odiosum consilium, quod James „et Amama in iis colligendis habuerunt."

Tali modo historia Originis et Vicissitudinum Vulgatae seu Auctoris et Restitutorum exposita ad Decretum Tridentinae Synodi de illa, ejusque origine, motivis,

sensu et consequentiis statim animum convertamus materiae ordinem secuturi; cujus examinis praecipuus finis erit defensio Decreti ejusdem, quod sic sonat [47]). „*Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec Vetus et Vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.*" Hoc decretum Ecclesia Catholica qua Decretum Fidei et oecumenici Concilii Opus venerabunda respicit. Quod si Sarpius narrat obstupuisse exteros [48]) ubi audierunt, consensum quinque Cardinalium et quadraginta octo Episcoporum in theologicis rebus non adeo praestantium articulum tanti momenti definivisse, cum Pallavicino reponendum illi est [49]). „Magni livoris esse

„viros Concilii illius deprimere. Illius ad „latus ponantur ea, in quibus plura jam „pridem habita Concilia conveniunt; acta- „que eorum quae jam asservantur ad latus „eorum ponantur, quae Episcopi in Tri- „dentinis Sessionibus dixerunt, quae om- „nia non modo in Pontificio Archivio sed „et in Bibliothecis multorum divitum spar- „sa inveniuntur; et quanam ex parte do- „ctrina praeponderet, videbimus. Quadra- „ginta octo tantum fuisse Episcopos, ne- „mo inficiss ibit; at Antistites illi ceu flos „Italiae, Siciliae, Sardiniae, Galliae et Hi- „spaniae a summis Principibus Christianis „missi fuerunt. Praeter hos erant et ex Dal- „matia, Graecia, Svecia, et Scotia. Tres „Legati egregiis dotibus fulgebant, eosque „inter duo in litteris, et in iis linguis qui- „bus doctrina ab antiquis concredita fuit, „praestabant: quarumque inscitiae Suavius „(Sarpius) tribuit memoratum decretum. „Cervinus praesertim, qui scientia, pru- „dentia, virtute, et fiducia Pontificis, ceu „auriga currus erat, per totam diem va-

„ria dubia quae e graecae linguae scientia
„pendebant, cum Guillelmo Sirleto postea
„Cardinali, tunc CustodaBibliothecaeVati-
„canae, cujusPraefectus erat Legatus, com-
„municabat. Imo in eadem Bibliotheca vo-
„lumen Epistolarum mutuo scriptarum de
„his argumentis habetur. Legati praeterea
„aderant Cardinales Madruccius, et Pa-
„cechus; aderant quoque aliqui ex claris-
„simis et celeberrimis viris quos vel Ger-
„mania, vel Hispania habuerit. His junge-
„bantur tres Abbates Cassinensium nomi-
„ne, quibuscum simul quinque Genera-
„les Ordinum Mendicentium erant, omnes
„magna scientia praediti, sicut pluries fa-
„tetur Snavius ipse incaute eorum in sen-
„tentiis citandis, quando vel eas narrat,
„vel contrarias Decretis in Concilio san-
„citis effingit. Et si ullius momenti vica-
„ria legatio habenda est, rerum ne histo-
„rico illi erat? adfuisse Concilio, praeter
„alios, Proceres omnium fere Regnlarium
„Familiarum, quae adeo spectabilem par-
„tem Ecclesiae constituunt, et denique

„emporium praecipuum Theologiae sunt,
„quemadmodum legati in Epistolis supra
„allatis Pontifici scripserunt. Si verum es-
„set, quod Suavius asserit hunc caetum non
„repraesentasse millesimam partem orbis
„Christiani, debuissent interesse fere quin-
„quaginta millia Episcoporum, qui praesen-
„tibus pares fuissent; et praeterea Proceres
„sex millium Ordinum parium Cassinensi
„et quinque Mendicantium, et Legati trium
„millium Principum Carolo V., Ferdinan-
„do et Lusitaniae Regibus aequales. Sed
„dotibus externis praetermissis, iterumque
„quod majoris momenti est, consideran-
„tes nempe Virorum qui tali Decreto con-
„senserunt praestantiam, aderant Concilio
„ceu consiliarii quadraginta Theologi ex
„doctissimis qui in omnibus Christianis
„Regnis inveniebantur, quorumque multi
„Saeculo illi scriptis splendorem attule-
„runt, quique ex se soli, ut ingenue fatear,
„Theologicae laude doctrinae illud redde-
„re illustrius, quam multa antegressa sae-
„cula potuissent. Verum est, ex Germanis

„neminem adfuisse, quod Suevius mysterii loco habet. Sed quid mirum si duces „illi ad concilium non veniant qui jam in „pugne sunt? Etenim tunc temporis Ratisponae Comitia celebrabantur: ubinam „sapientes et zelosi illi viri hic, vel in Concilio magis necessarii erant? Et si corpore, studio certe non aberant. Cum illis „per Epistolas de materiis occurrentibus „collationes instituebantur, scripta eorum „recitabantur, et si non oretenus, tamen „scriptotenus procedebatur." Praeter haec observari potest doctos Catholicos Germaniae Concilii sententiae conformiter jam sensisse antequam Decretum illud ederetur, ut Branca ostendit [50]) et rumores ad primam ejus lectionem vel Romae excitatos statim sopitos fuisse vero sensu intellecto, gravibusque animadversionibus et disquisitionibus, quarum ut Pallevicinus narrat, Decretum illud fructus erat [51]). Quodsi quis dura e cervicis mentiri ceteroqum vellet, memoratum toties Decretum Concilii oecumenici opus non fuisse, sal-

tem ex tacita vel explicita universali approbatione agnoscere cogeretur, postea Fidei Decretum evasisse, et idcirco, prout de primis quatuor Generalibus Conciliis Gregorius Magnus sentiebat, quasi alterum Evangelium veneratione prosequendum, et ad nostram instructionem agendique normam ejus sensum vimque inquirendam esse.

Singularem attentionem postulat nunc honorificum authenticitatis attributum, quod in recitato Decreto Vulgatae tribuitur, quodque in causa fuit cur multae quaestiones ex protestantica invidia, et aliquorum ex nostris inconsideratione excitarentur. Concilium omni dubio procul epithetum: *authenticum* a Jurisperitis mutuavit, ipsumque juxta hos et juxta Lexica tribuitur documentis scriptis, decretis, testamentis, quae per interna externaque criteria genuina et integra habentur, quaeque per se in judicio fidem merentur, et summae certaeque auctoritatis sunt, cum a nemine in suspicionem, in dubium, vel in

quaestionem vocari possint [51]). Cum vero tacite vel expresse ceu authenticum aliquod actum recognoscitur, nihil aliud significat, quam illud tanquam ab Auctore dictatum (sive sit *authographum*, sive *apographum* authographo omnino conforme) ceu actum integrum et genuinum habendum esse. Insuper sicut actum aliquod integrum esse potest vel tantum in rebus essentialibus, vel etiam in levioribus: sic *authenticum* etiam solummodo *in essentiali*, vel *authenticum ex toto* dicendum erit.

Tenendum idem de Versionibus, quae nil aliud sunt quam apographa alio sermone exarata. Quapropter sicut versio aliqua vel solum in essentialibus vel etiam omni ex parte integra esse poterit, eadem ratione vel solum in essentialibus vel omni ex parte authentica erit.

Caeterum et integra et genuina in se ipsa esse posset scriptura vel versio quaelibet, sed cum careat argumentis suae integritatis, de authentia ejus legentes propterea non convincerentur. Praeterea Scrip-

tura vel versio aliqua aut tacite aut expresse a publica et congrua auctoritate authentica declarari posset. Hoc casu authenticitati scripti vel versionis accrescit testimonium externum plus minusve grave, potestatis et sapientiae talis tribunalis habita ratione. Quod tribunal si periculo erroris careret, authentia scripturae ad summum certitudinis gradum eveheretur, et nec interne nec externe illa in dubium venire posset. Attamen scriptura aliqua per interna et externa criteria satis tuto authentica posset evadere, etiam ante quam qua talis declaretur, quae declaratio summum certitudinis gradum constituit.

Praemissis observationibus hisce, ex quarum defectu, ni fallor, summi Scriptores in pertractando argumento hoc et valde obscure et parum exacte disseruut; affirmo I°. Vulgatam nostram clarissimis suae genuinitatis et integritatis notis insigniri propter quas Concilium Tridentinum illam authenticam declarando, ultimum certitudinis gradum auctoritati ejus attulit; II°.

Vulgatam authenticam esse, id est summae et firmissimae auctoritatis in iis, quae Fidem, mores, vel historiae substantiam respiciunt; III°. Vulgatae auctoritatem magni habendam esse etiam in iis, quae ad eruditionem et criticam pertinent; IV°. Ostendam, quando ex praecepto Concilii Vulgatae usus fieri debeat, et V° denique auctoritatem Vulgatae nec auctoritati textus originalis, nec aliis antiquis Versionibus Ecclesiarum unitarum et Catholicarum quidquam derogare.

Habita ratione paucorum Librorum, qui de Veteri Latina vel Itala Versione nobis supersunt; antequam de caracteribus integritatis et genuitatis verba facimus, praemonuisse juvabit, eandem Versionem a D. Augustino [8]) dici *verborum tenaciorem cum perspicuitate sententiae*, nobilissimamque originem praeseferre, cum in lucem prodierit temporibus quibus adhuc auribus fidelium Apostolicae voces resonabant, et expositiones Sacrarum Litterarum, quas a discipulis Jesu Christi vel ab Apostolis audierant, in eorum mentibus vivae erant, et a viro ob dignitatem,

pietatem et doctrinam multae auctoritatis edita profecto fuerit. Nec certe sine talibus qualitatibus in Ecclesiis Latinis in usum adeo universalem abiisset. Praeterea considerandum in dictis Libris Italam ab experta manu ad fidem fontium, e quibus hauste fuerat, sicut in Procemio dictum est, revisam fuisse.

At quoad illos Vulgatae Libros, quos Hieronymo debemus, palam est, quantae diligentiae, et meriti esse debuerit auctor quantusque splendor e raris magni viri dotibus in eosdem redundet. Nam cum insigni pietate indefessum zelum, et secundum scientiam purioris fidei severissimam criticam, Linguarum Graecae, Hebraicae, et Chaldaicae, non minus quam Latinae cognitionem profundam, et amplissimam doctrinam haustam longo studio e sacris scripturis, ex antiquis Patribus, et ex traditionibus variarum Ecclesiarum, exactam notitiam Terrae Sanctae, consuetudinum antiquarum et recentium Gentis Hebraeae, rituum, traditionum eorumque quae

credebant, in Hieronymo effulsisse scimus. Adde Hieronymo familiares fuisse scientias naturales eruditionemque magis reconditam, vivendi consuetudinem studiorumque communionem cum doctioribus Judaeorum fuisse, intercessisse illi commercia cum viris scientia pietate et auctoritate clarissimis qui eo saeculo in Orientali et Occidentali Ecclesia floruerunt. Scimus, Hieronymum Codicibus divinarum scripturarum [34]), et Polyaplis Originis abunde instructum, fuissa praeditum ingenio fervidiori et capaci difficillimorum studiorum et implicatissimarum disquisitionum Theologicarum, Literariarum, et criticarum, denique ea humilitate et puritate cordis, Spiritu orationis et ardentissimaa charitatis plenum, quibus solis datum est in abditissimos S. scripturae thesauros penetrare. Quare Hieronymus coaevorum ac posterorum prodigium evasit, qui in efferendis ejus laudibus certarunt [35]), fuitque magni Interpretis Librorum Sanctorum exemplar luculentissimum, et ad dendam

nobis fidelem et genuinam Versionem aptissimus.

Nec aliter sentiendum est de successu felicissimo Versionis ejus, cum de illa Augustinus [56]) dicat: *Ejus literatum laborem Judaei fatebantur esse veracem;* et inter Graecos doctus Sophronius [57]) psalmorum et Prophetarum versionem [58]), quam ex hebraico sermone D. Hieronymus fecerat, in propriam linguam transtulerit. Inter Latinos vero, de emendatione, quam antiquae Versionis Latinae Evangeliorum fecerat, Augustinus sic scribebat [59]): *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium interpretatus sis* [60]), *quia in omnibus fere nulla est offensio, cum scripturas graecas contulerimus.* Idem Versionem Veteris Foederis S. Hieronymi gratanter excepit, quamquam se illi infensissimum ostendisset, veritus summopere, ne offensionis petra Fidelibus esset, si hanc cum antiqua versione latina ad fidem versionis LXX. Interpret. confecta conferrent [61]). Magnus Gregorius Versionem Hieronymianam summis effert laudi-

bus cum de ea dicat [61]) *posteriorem translationem veraciorem credimus; quia haec nova translatio ex Hebraeo nobis Arabicoque* (Jobi) *eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est, quidquid in ea dicitur, et oportet, ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* Ejusdem mentis certo fuit Universa Ecclesia Latina, cum pedetentim Itala relicta, Versionem Hieronymianam ita amplexata est, ut teste Isidoro Hispalensi Linguarum Hebraicae, Graecae, et Latinae intelligentia claro, qui Anno DCXXXVI. mortuus est [62]) aetate sua propter praestantiam generalis ejus usus fuerit; *Scripturas*, ait, *Hieronymus convertit eloquenterque transfudit, cujus interpretatio merito caeteris antefertur, cujus editione omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, eo quod veracior est in sententiis et clarior in verbis.* Et usus iste cum postea in Latina Ecclesia semper perseverasset, Versio haec in Liturgia legebatur, a sacris Pastoribus, a scriptoribus omnibus priva-

te et publice explicabatur, et in omnibus Conciliis Generalibus et Particularibus in Occidente habitis pro textu adhibita fuit, quare Tridentina Synodus de ipsa verissime dicere potuit, *longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est* [64]).

Usus iste generalis memoratae Versionis in Ecclesia Latina demonstrat liquide, eam esse puram et integram in essentia doctrinae revelatae, sive in Fide, in moribus et in substantia historiae. Secus dicendum esset Ecclesiam Latinam a tot saeculis in tenebris erroris volutatam fuisse, cum ex ea suos mures suamque Fidem hauserit, atque mediante illa se opposuerit haereticis, qui variis temporibus in ipsam insurrexerunt; et sic non amplius in orbe existeret Ecclesia Jesu Christi, cum Ecclesia Romana Ecclesiarum omnium Princeps, Mater, et Magistra, totaque Occidentalis Ecclesia cum ipsa in errore versaretur, et Ecclesia Orientalis quoad potiorem partem tamdin a veritate et unitate misere divergat. Talem exitum habe-

rent promissiones a Jesu Christo Ecclesiae suae factae, si Vulgatam integram et genuinam essa in iis quae sanctitatem morum et substantiam historiae constituunt, ideoque titulum anthenticae mereri, negatur. Cappellus ipse affirmabat. *Deum passum non esse varietatem, quae doctrinam immutet, gliscere in translationes, quibus Ecclesia usa est olim, et etiam nunc ubique utitur* [65]).

Sed abs re alienum non erit audire nunc quid Catholicorum et Protestantium Scriptorum doctissimi de praestantia et anctoritate Vulgatae senserint. Pro Catholicis omnibus unum Joannem Bernardum de-Rossi magnum illum scientiae Biblioae Nestorem audire sufficit, quem divino sacrarum Litterarum Auctori ob tot tantosque labores, quos ad lumen et defensionem earumdem et ad decus Ecclesiae Catholicae quinquaginta annorum spatio pertulerit, corona aeternae gloriae donare placeat [66]). „*Versio* quaecumque, ait ipse, „quae tot saeculis universali omnium Ec-

„classiarum usu est consecrata, quae apud
„easdem auctoritatem maximam obtinuit,
„quae ab ipsis ut regula et norma verissi-
„ma Fidei recepta agnitaque est, quae
„quoad substantiam et veritatem historiae
„et dogmatum fidelis est, et textui originali
„conformis,nonne in utroque sensu,quo vox
„ista accipi potest, jure optimo authenti-
„ca est? Nonne omnia habet authentici-
„tatis titulos? Habet ne justiores Versio
„LXX. Interpr., quae quidem in Ecclesia
„Graeca authentica est, et versiones Orien-
„tales, quae aeque authenticae in Eccle-
„siis Unitis et Catholicis habentur? — Si
„omnes vicissitudines quibus hae Versio-
„nes obnoxiae fuerunt, si omnes, quas ip-
„se originalis textus subiit, si defec-
„tus omnes omniaque vitia quae contraxe-
„runt, eorum integritatem, publicam Fi-
„dem, authentiam minime labefactant, cur
„plerumque fortuiti Vulgatae defectus auc-
„toritatem ejus labefactarent? Libris omni-
„bus hujusmodi defectus communes esse ip-
„sosque temporibus omnibus evitari non

„posse, facile vero emendari subsidio manu-
„scriptorum et sagacis Criticae, constat; et
„si propter has maculas Fides auctoritasque
„illorum infirmaretur, liber nullus in-
„corruptus et authenticus nullus tex-
„tus sacer, nullumque exemplar dare-
„tur, quod Fidei nostrae norma esset, vel
„esse posset. Ecclesia certe nullum un-
„quam habuisset" Audito testimonio tan-
ti viri, quem non modo omnes doctiores
Catholici, sed etiam e Protestantibus ce-
lebriores, (qui ante quinquaginta annos
floruerunt, quorum plurimas ego ipse
apud eum epistolas vidi), et ipsi He-
braei qui illum vel perhonorifice in Sy-
nagogis exceperunt, vel in argumentum
obsequii invisebant, reverebantur consule-
bantque, audito, inquam, testimonio tan-
ti Viri, cujus multa praeclara opera typis
edita, ejus profundae eruditionis biblicae
perenne monumentum erunt, aliqui recen-
tiorum semidoctorum et leviter creden-
tium catholicorum de Vulgatae praestan-
tia paulo melius sentire deberent. At

multos etiam ex ipsis Protestantibus inprimisque Lutherum sic loquentem audire non pigeat. In *Praefatione ad Commentarium de novissimis Verbis David*, sic scribit: *Summa haec est: nisi nos operam et studium in enarrando huc conferimus, ut Scripturae textus quoad fieri potest ad sententiam scriptorum Apostolicorum, in libris novi Testamenti traditam adversus Rabbinorum corruptelas accomodemus, omnino melius esset ommisso studio Hebraicae linguae simpliciter retinere illam hactenus receptam et usitatam versionem Bibliorum, quam tot novas versiones cumulari, propter pauca quaedam loca, ubi aut Hebraica lectio alia est, aut quarumdam vocum interpretatio nondum certa est, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo et discrepantia Lectionum memoriam legentium turbat, et studium remoratur, ac in multis locis incertiorem quam fuerat dimittit.*

Pellicanus Conradus hebraicae Linguae gnarus et ob morum gravitatem apud Novatores in pretio 67), de Vulgata Psal-

morum, quae sicut, in prooemio diximus, antiqua Versio Latina est, ed fidem textus Hexaplaris LXX. Interpretum a D. Hieronymo revisa, non vero nova, ut in pluribus aliis libris deprehenditur, singillatim verba faciens, loquitur, ut vel fervidior Catholicus de ea loqui non posset. „Placet," sic ipse, „*venerandas auctoritatis haberi translationem vulgarem in populo Christiano, et nostram hanc ei conferri, non praeferri... Tanta dexteritate, eruditione, et fide Hebraico, quoad sensum, concordare, deprehendimus vulgatam editionem Psalterii, ut eruditissimum, pariterque piissimum, et vero prophetali Spiritu praeditum fuisse interpretem Graecum et Latinum non dubitem*"

Ambo Osiandri Pater nempe et Filius apud Suecos praecipui doctrinarum Lutheri propugnatores, Versionibus Pagniniana, Tigurina, et Lutherana posthabitis, Vulgatam ediderunt, in nonnullis locis notatis quibusdam lectionibus diversis textus Hebraici, qui antiqua Versione retenta, praeferendus ipsis esse videbatur [68]).

Et Academiae Tubingensis a qua, ut Brancae verbis utar, [69]) *duce ibi primum Capnione tanquam ex equo Trojano, plurimi illi in Germania Linguarum principes extitere,* placuit consilium Lucae Osiandri [70]) *quod in sua Bibliorum editione vetustum exemplar et longo Ecclesiarum omnium usu receptum semper repraesentaverit.* — Beza Theodorus eruditus ille Calvini sectator Erasmum [71]) sic objurgat (quamquam alibi aliter, prout haereticorum est, sentiat). „*Quam immerito Erasmus multis locis veterem interpretem reprehendit, tanquam a Graecis dissentientem. Dissentiebat fateor ab iis exemplaribus (Graecis novi Testamenti), quae ipse nactus erat. Sed non uno loco comperimus aliorum codicum et quidem vetustissimorum auctoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit: quin etiam aliquot locis animadvertimus veteris interpretis lectionem quamvis cum nostris Graecis exemplaribus non conveniat interdum, tamen multo melius quadrare, nempe quod emendatius aliquod exemplar secutus esse videatur.*"

Uti Beza etiam Isaacus Casaubonus sen-

tiebat, dum ut Brianus Waltonus ait, ipse [72]) *notis suis ad Evangelia et Actus saepe Vulgatam Editionem Graeci textus hodierni lectioni praefert, et cum antiquis Graecis manuscriptis Vulgatam convenisse ostendit.* Libeat audire etiam quae Drusius, Buxtorfius, Ludovicus de Dieu, Waltonus, Millius, Boisius, tandemque Michaelis in re nostra locuti sunt. Prior ille Amamae discipulus eruditione maxime exotica et Criticae cognitionibus summe ornatus Decreto Tridentinae Synodi sequentibus suffragari non timet [73]). *Non male, meo judicio, Patres Concilii Tridentini receperunt in scholis interpretem Vulgatum. Nam utut errores aliquos habeat, habent et alii suos fortasse plures, quam ille.* Cui judicio idem Buxtorfius authentiae Textus Hebraici patronus libentissime acquiescit [74]).

Ludovicus de-Dieu [75]) sic. *Si Vulgatum Interpretem, quisquis tandem fuerit, doctum, immo doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero: suos habet naevos, fateor, habet et suos barbarismos; sed quis*

passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.

Omnium Protestantium scientia et doctrina clarissimus Hugo Grotius [76]) laudes Vulgatae celebrare non erubescit. „*Adnotavi autem, quae adnotanda duxi ad Latinam versionem quidem receptam, quam semper plurimi feci non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, sed etiam quod multum in se habeat eruditionis, quamvis in dicendi genere satis horrido... Tutissima omnium iis qui nec hebraice nec graece didicere, est Vulgata Versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit.*

Waltonus Briannus Anglicanae Confessionis sectator a Polyglottis suis satis illustris de eruditis suis acatholicis auctoritatem Concilii recognoscere recusantibus sermonem habens, ait [77]), *Vulgatam caeteris Latinis hodiernis in hoc praefecandam existimant, quod omnibus antiquior, et in Ecclesia Occidentali per mille annos publice recepta sit, unde merito magnificienda est, nec te-*

mere rejicienda, ut postea fusius ostendemus. Licet vero divinam non agnoscamus, magni tamen faciendam, et non temere proscindendam, tum propter ejus antiquitatem et usum generalem per Occidentem per mille annos, tum propter interpretis, quem Hieronymum ex parte agnoscimus, doctrinam et fidelitatem, quem de Ecclesia bene meruisse gratis animis praedicant Protestantium doctissimi.

Millius Anglicanae Confessionis etiam assecla qui triginta annis laboravit, ut Novi Testamenti Graeci editione a se facta nos donaret, sic loquitur: *Certe*[78]) *tantum abest, ut ad textum Graecum excusum quemcumque Vulgatam* (*Novi Testamenti*) *reformatam velim, ut contra optime cum ea actum existimem, si manuscriptorum exemplarium diligenter collatorum ope talis apud posteros prodeat, qualis eam edidit Hieronymus.* De Joanne Boisio etiam in Anglia nato praefatus Millius sic testatur[79]): *Sub initium fere anni MDCXXV cum Theodori Bezae aliorumque quorundam versiones novae, magis latinae et accuratae, si placet, apud Theologos istius tem-*

poris complures, idoneos ipsos harum rerum aestimatores, mirifice celebratae, veterem Vulgatam de suo plane loco deiecissent et in contemptum adduxissent ut barbaram, et multis insuper in locis corruptam translationem, Joannes Boisius nostras scripsit tractatum longe doctissimum... in quo versionis veteris agit vindicias, ejusque loca quam plurima cum Bezae aliorumque versionibus collata recte omnino se habere demonstrat.

Celeberrimum omnium aetatis nostrae Protestantium recensebo unum Joannem Davidem Michaelem, qui in suis operibus magnam aestimationem ergaVulgatam profitetur, testes in hoc adhibens Protestantes et Catholicos, qui praelectiones ejus frequentabant [1]). *Praeiverat ait, Vulgata male deinceps aliis neglecta, cum sit versionum una omnium praestantissima... Ipsi enim auditores mei tam Protestantes, quam Pontificii, facile recordabuntur, quantopere ego Vulgatae usum tum criticum, tum exegeticum commendem, ejusque contemptum vituperem.*

Hoc modo in laudem Vulgatae isti

summi Viri quamquam Protestantes senserunt atque scripserunt. Jure itaque omnes eorum fratres, eoque magis nonnulli improbi et larvati temporis nostri Catholici jam tandem aliquando cautiores fieri deberent, cum de illa sermonem faciunt. Quod si illi eam proprie authenticam appellare noluerunt, id eos fecisse existimo, vel quia originalis textus auctoritati derogare incaute timebant, vel quia subjectos judicio Concilii se monstrare nolebant, vel ut se definitionibus Ecclesiae Catholicae Vulgatae innixis semper subtrahere possent. Et si quis vel ex ipsis, qui de Vulgata magnifice sentiunt, quandoque erga illam se parum reverentem exhibet, id ex eo fit, vel quia error facile mutationi obnoxius est polypi petrosi ad instar, aut veluti graecus Vates ajebat, ut juxta necessitatem in variis certaminibus se sustentent.

Atque utinam Novatores authentiam Vulgatae recognoscerent! Tunc, ut solide

et uberi doctrina Branca ostendit [31]), tot dissensiones tollerentur, ortae ex variis et parum fidelibus versionibus, at a furore illo, quo exigunt ut unusquisque ad originalem textum recurrat, ad dogma mediante arduo, at parum stabili criterio usus loquendi qua certum statuendum, omnesque variantes lectiones percurrat, ad verum textus lectionem eruendam, sicque fides sit varia et multiplex, nascatur, et moriatur, prouti interpretes et critici ipsi, cum tamen deberet esse una, ut Jesus Christus est unus. Tum clarius patesceret, quam rationi consona, ac modestissima sint Concilii verba: „*Non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quae circumferuntur, sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat* [32]).“ Lutherus ipse sic scribebat [33]): *Si diutius steterit mundus, iterum necessarium erit, ut propter diversas scripturas interpretationes, quae nunc sunt, ad conservandam Fidei unitatem Conciliorum de-*

creta (Tridentini videlicet) *recipiamus atque ad ea confugiamus.*"

Dordracena Synodus Sanctorum Librorum versionis, omnibus communis, necessitatem bene perspexit, ut adeo praeciperat iterum SS. LL. in Linguam Belgicam verti, quam provinciam delectis quibusdam viris demandavit [84]). Sed eadem declaratio et versio repudiabantur ab Arminianis eadem plane auctoritate, qua edebantur [85]). Aliud Lipsiense Decretum cui Melanchton, Pomeranus, Major et plures alii subscripserunt, authenticam Lutheri versionem stabilivit; at Zwingliani, Anabaptistae et Calviniani illud decretum eadem auctoritate, qua datum fuit, reprobarunt [86]).

Divinae Providentiae dicemus laudes, quod necessitati nostrae providerit, data nobis Versione certa, omnibusque illis ad captum, qui magisterio Fidelium praesunt, quorum plerique originales textus legere nesciunt, versione data, inquam, in qua determinatam lectionem inveniunt in iis, quae ad Fidem, mores, et substantiam hi-

storiae pertinent, in qua determinanda, ut dixi, ob perdifficile criterium diversarum lectionum multi incanti aberrare possent. Nos felices! qui innixi auctoritati et tacitae et explicitae Ecclesiae Catholicae, quae nos divinitus docet fidissimeque dirigit, innixi, inquam, antiquo adeoque pervulgato usui, in quo penes illam semper fuit, et solemni declarationi Concilii Tridentini oecumenici Vulgatam ceu authenticam recognoscimus.

II.

Caveamus tamen ne fervor quo authentiam Vulgatae defendimus parum sit scientificus, et immoderatus Dixisse sat erit Vulgatam authenticam esse, nempe inexpugnabilis auctoritatis in iis solum, quae Fidem mores et substantiam historiae respiciunt [6]); illamque uti Paulus de omni inspirata scriptura dicebat [88]): *utilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus.* Nam aliquo libri sa-

cri apographo vel aliqua ejus versione quae authenticis declaratis, nihil ultra requirit Ecclesia nisi ut credatur contineri in iis quod Deus revelavit vel inspiravit, ceu objectum et regulam Fidei et morum et eventuum, quibus innituntur, et illustrantur ipsa doctrina Fidei et morum ibi contenta, ut patet e Decreto Concilii de *Canonicis Scripturis* quod immediate illud de Vulgata [59] praecedit. Soli Authographo proxime dictante et moderante Spiritu sancto exarato tribuitur major authentia universalis et plena. Praeterea Tridentina Synodus Decreto suo Versionem nostram respiciente, nihil ultra definire potuit; cum, sicut in propatulo est, Concilium seu Ecclesia summa cum auctoritate et veritate definit in iis quae ad Fidem moresque (factis dogmaticis non exceptis) pertinent, sed quae grammaticam, eloquentiam, poesim, historiam naturalem, geographiam, chronologiam, vel criticam adjaphoram, nec dogma nec substantiam historiae adtinentem includunt concilii defi-

nitionibus obnoxia non sunt. In recensitis rebus ergo Vulgata quamvis anthentica, erroribus et negligentiis fortasse aliquando ab interprete [9]), plerumque vero ab librariis et typographis profectis non caret. Hoc apparet ex variis emendationibus quas supra attigimus, quasque Brugensis in suis *Correctionibus Romanis* in fine Bibliorum Plantinianorum positis in unum collegit, et ex *Praefationibus* ad Editiones Sixti V. et Clementis VIII. Immo negligentiae tales et dari possunt et dantur, ut in alio Libro [8]) Brugensis, et in Epistola Cardinalis Bellarmini ad illum, eoque magis in ejus Dissertatione juxta Codicem Mechlinensem a P. Widenhofer Herbipoli Anno MDCCXLIX edita, videre est; credendumque negligentias illas remansuras usque dum Deus ipse, qui Originale exemplar dictavit, eas emendaverit. Licebit itaque erudito cuique in talibus materiis sine temeritatis nota regulis sanae Criticae inhaerendo lectionem textus originalis, aut etiam aliarum veterum Versionum

praeferre illi, quae in Vulgata habetur, quod ab interpretibus, apologistis, et archeologis vulgo fieri videmus. Audiendum quid in hac re Clarissimus Professor de-Rossi sentiat [9]) „*Duo isti Pontifices* (Sixtus et Clemens) majori cura mentem Con„cilii secuti sunt, quod, Vulgata anthentica „declarata, jusserat, ut emendaretur, cu„raque Pontificibus committeretur, et opi„tulantibus manuscriptis et textibus origi„nalibus, praestantissimisque in literatura „viris errores plurimos, qui irrepserant, cor„rexerunt, propterea que negari non potest „Editionem Clementis VIII., quae Eccle„siae proposita fuit, quaque illa utitur, emen„datiorem et exactiorem iis omnibus esse, „quae prius in lucem exierunt. Multas ta„men maculas remansisse, fatendum qui„dem est, uti Praefatio ipsa dictae Editio„nis, et Bellarminus, qui inter emendato„res erat, in hoc conveniunt. Lucas Bru„gensis plures notavit, pluresque alias „caeteri Critici, et Interpretes observa„verunt, et idcirco in Sixtina non paucas

„lectiones meliores magisque textibus ori-„ginalibus consentaneas, quam in Clemen-„tina invenerunt. Nos alio nostro Opere [93]) „exempla de hoc protulimus [94]) usumque „textuum eorum indicavimus, qui fieri po-„test in locis dissonis, incorrectis, redun-„dantibus, omissis, ambiguis hujus editionis, „et in dissensionibus ac differentiis, quae „inter Editiones Vaticanas deprehenduntur, „mediante collatione generali manuscripto-„rum, quam publici juris fecimus [95]), (in qua „tot Codices Originales reperiuntur, qui lec-„tiones Vulgatae, quae discrepabant, ratas fa-„ciunt et confirmant) criticisque, ut fructuo-„siorem illorum usum faciant, opem prae-„stamus. Optandum interim est, nosque ad „decus et splendorem Religionis et ejusdem „Vulgatae enixe optamus, ut novus exoriatur „Pontifex, qui novam emendatiorem, accu-„ratioremque Editionem nobis largiatur, sic-„que Praedecessorum suorum beneficium ex „omni parte perfectum efficiat [96]). Quam no-„vus gloriae titulus ita non illi accresceret!"

Firmum stet igitur Vulgatam negligen-

tias fortnitas continere posse, et in iis quae Fidem, mores et substantiam historiae non spectant, dummodo sana Critica patiatur, lectiones ejus deserere licitum esse. Argumenta pro hac sententia hucusque allata multis auctoritatibus Patrum Concilii ipsius [97]) a Pallaviciuo et a Natali Alexandro adductis [98]), quosque ego studio brevitatis silentio praetereo, coroborari possunt. Pro libitu vero spernere Vulgatam etiam ubi de eruditione agitur nemini prorsus licet, sed etiam in ejusmodi rebus summa illius veneratio habenda est, vel spectato summo ejus Auctore vel mente pensitatis adjumentis, quibus ad opus suum ille instructus erat, quaeque interpretibus et criticis nostrorum temporum desunt, ut alibi diximus, et etiam a tot celebrioribus audivimus Protestantibus, quorum testimoniis nihil hic addo, nisi, quod Anno MDXXIX de hocce argumento Augustinus Steuchius Eugubii natus Can. reg. et Apostolicae Bibliothecae Custos celeberrimus veterum linguarum scientiarumque cultor

litteris mandavit [99]), in quibus eruditionem et elegantiam Vulgatae sic commendat [100]). „*Tanta est* nostrae interpretationis elegantia, tanta proprietas, tanta mirabili prudentia vitat Hebraismum, ac „seque nostrae phrasi accommodat, ut alterius esse, quam eruditissimi Hieronymi, „minime ut credam, adduci possim.... Si „quid in hac nostra editione diversum ab „hebraica veritate invenitur, perleve certo est, et quod uno apice resarciri possit... Hanc quoties cum hebraica veritate „contulimus, toties in magnas ipsius interpretis laudes erupimus, admirati tantam majestatem, tantam in transferendo „prudentiam, tantum judicium, tantum „leporem, tantam perspicuitatem. Patet „certe hanc editionem esse Hieronymi, qua „nulla unquam sive apud Graecos, sive apud „Latinos fuerit melior, elegantior, lucidior, dicam etiam latinior. In qua si quid „aut mendosum reperitur (sic ante Sixtinam et Clementinam emendationem loquebatur) aut ab hebraica veritate disso-

„num, aut additum, aut detractum, vel „nullius est momenti, aut scriptorum vi„tio contigit... Et haec est vera ejus (Hie„ronymi) inclytaque translatio, omnibus „antiquis aut futuris umquam usque ad re„rum consummationem editionibus *longe „praecellens*." Haec de Vulgata doctissimus Eugubinus. Hodyus praeterea narrat [101]) Albericum Gentilem Juris Consultum Italum, factum deinde Protestantem et Professorem Juris in Academia Oxoniensi, mortuumque Anno MDCVIII. librum edidisse qui inscribebatur *De Latinitate Veteris Bibliarum Versionis male accusata.* Ad defensionem autem fidelitatis Vulgatae, etiam quoad Criticam Tacitus Nicolaus Zegerus [102]), Ballarminus [103]), Bukentopus [104]), Goldhagenus [105]) etc. praeter Protestantes superius memoratos inspici, et consuli possunt [106]).

Quod si nonnulli volunt D. Hieronymum sensum textus originalis vel majori cum elegantia vel in grammaticis majori diligentia potuisse referre, animadvertatur S. Do-

ctorem, ut ipsemet in pluribus locis [107]) fatetur, egisse sic, ne levi de causa antiquam lectionem mutaret, cum utilitatis populi rationem majorem quam regularum Donati haberet; cum interim alii versionem suam, ut Castalio, et reliqui, exquisitiorem reddere volentes, ex confessione Protestantium ipsorum eam in pejus mutarunt. Non erit praeter rem hic loci Xaverium Matthaei audire [108]), qui certe non adeo Vulgatae addictus est, et erga textus originales magno amore fertur. „*Editio Vulgata*, ait, ut „illa Aquilae summopere fidelis, et litteralis, „quin grammaticalem ejus diligentiam habeat; ipsa est quandoque modice diffusa, „quando explicatione indiget sensus lin„guae nostris linguis incongruentis, verum „absque illa nimia libertate, qua aliquoties. „LXX et Theodotio usi sunt; observatur „in ea prudentia, moderatio inter nimiam li„bertatem et servitutem interpretis mediam „viam tenens, quin tamen a vero aberret, „quam D. Hieronymus in versione Sym„machi agnovit. Elegantia vero Latinis

„versionibus omnibus, nec Itala excepta, „praestat. Sed illud valde mirum tot no„vas Versiones post labores Auctoris Vul„gatae a recentioribus factas, et ab illis „defectibus repurgatas, qui in Vulgata re„cogniti sunt, omnes minus exactas et „perfectas esse, et quamvis aliquorum sup„positorum sint expertes defectuum, ta„men pluribus aliisque *majoribus scatent.*"

Ex quibus perspicuum est, si de eruditione sola agatur, Vulgatam nostram quacunque de causa negligendam non esse, quin ideo eo deveniamus, ut ipsam in omnibus minutiis authenticam omnisque prorsus erroris expertem credamus.

Videndum tandem quibus occasionibus usus Vulgatae nobis praescriptus sit? — Audire juvat Decretum Concilii: *Ex omnibus latinis Editionibus.... Vulgata Editio.... in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.* Ex quibus consequitur in concionibus omnibus, instruc-

tionibus, explicationibus populo proponendis, in omnibus disputationibus, quae ad defensionem doctrinarum dogmaticarum vel moralium pertinent, in omni liturgia ad uniformitatem publici cultus, et ad securitatem doctrinae in Ecclesiis ritus Latini Vulgata utendum esse. In hoc consistit decretum, eique conformis sit praxis. Monendum caeterum, quod si pro Ecclesiis, quae ritus Latini non sunt, usus Vulgatae praescriptus non est, tamen authentia ejus cognoscenda, cum Una ubique sit Fides, quamvis consuetudines diversae.

Nemo interim putet SS. Concilium suo Decreto, quod hucusque explicavimus, et defendimus, usum, et auctoritatem textuum originalium, vel reliquarum Versionum antiquarum quibus variae Ecclesiae utuntur, deprimere velrejicere voluisse. Hac de causa in animo nobis est mentem et finem ejusdem Concilii inquirere, praeeuntibus iis praesertim, qui Sessioni adstiterunt, in qua Decretum illud conditum fuit, nisi jam

lectori sola attenta dicti Decreti Lectio sufficiat, in quo non nisi de versionibus latinis, et de usu publico sermo est. (*Ex omnibus Latinis editionibus, quas circumferuntur.... in publicis lectionibus etc.*). Inter eos Celeberrimus S. J. Theologus Salmero [109]), Jacobus Lainez ejusdem Societatis Praepositus Generalis [110]), Dominicus Soto a Confessionibus Caroli V.,[111]) Andreas Wega Consiliarius Theologus Salamanticensis [112]), Cardinalis Cervinus Summi Pontificis Pauli III. ad Concilium Legatus, deinde sub nomine Marcelli Secundi Romanus Pontifex [113]) luculenter nobis dicunt, Concilium in suo Decreto collationem Vulgatae cum textibus originalibus non instituisse, sed tantum cum aliis Versionibus Latinis, quae tunc omnium manibus ferebantur, ita ut nec de Itala tunc temporis a tot seculis oblitterata sermo fuerit [114]). Imo ex Pallavicino scimus [115]) Cardinali Pacecho volente, ut omnes reliquae Versiones rejicerentur, inter quas etiam illa LXX Interpretum, Bertanum strenue se illi oppo-

suisse defendendo, „Versionem unicam „tantum authenticam agnoscendam fore, „reliquas neque approbandas neque im-„probandas. Sufficere hoc, ne haeretici op-„ponant, Doctrinam Catholicorum legiti-„mam esse non posse, cum libri quibus pro „fundamento ejus utebantur, omnes adulte-„rinae versiones essent." Idem historicus ad-„dit. „Hoc respectu dubitatum fuisse utrum, „ut aliquibus placebat, certum aliquod exem-„plar Scripturarum non solum in Latino sed „etiam in Hebraico et Graeco statuendum „sit. At plerique senserunt, sufficere mo-„do hoc fieret in Latino, utpote idio-„mate, quod in regionibus ubi Ecclesia „Dei floret, ad quas speciatim hae pro-„visiones spectabant, intelligitur ab om-„nibus non rudibus, et Scripturae Sacrae „interpretandae aptis, quodque propterea „ad discernenda sincera exemplaria a de-„pravatis in aliis linguis servire possit." No-tandum insuper doctiores, qui temporibus subsequis claruerunt, inter quos non est si-lendus Venerabilis Bellarminus, qui inter

illustres emendatores Vulgatae sub Clemente VIII. fuit, sententiam quam nos tuemur, secutos esse, et ab ea nec Sixtum V. nec praedictum Pontificem alienos fuisse.

Ex quibus omnibus facile colligitur de textibus originalibus Sacrarum Litterarum aliisque Versionibus antiquis, quibus Ecclesiae Catholicae utebantur, Concilium altum tenuisse silentium; ideo et illos et has in statu auctoritatis, quae illis competebat reliquisse, et usum, quem in Ecclesia habebant, non abolevisse. Observari praeterea potest, Concilium nequidem ullo modo antiquasse usum privatum aliarum Versionum Latinarum, quas Catholici Auctores elucubrarunt [116]). Quare authentiam Vulgatae propugnantes eam nec textibus originalibus [117]) nec Versioni LXX [118]) usu juxta Du-Constantium [119]) et de-Rossi [120]) aliis antiquis Versionibus Orientalibus Ecclesiarum Unitarum et Catholicarum abjudicare volumus. Insuper dicimus ad textus originales, et antiquas Versiones, i. e.

ad illam LXX, Paraphrases Chaldaicam, Samaritanam, ad Versiones Italam, Syram simplicem et Hexaplarem, ad illas Aquilae, Symmachi, Theodotionis, at ad Quintam et Sextam sic nuncupatas, ad Copticas, Ethiopicam, Gothicam, Armenam, Arabes, Slavicam, Persicam, et etiam Pagninisnam hortante Leone X. factam, optimum fore recurrere, si iis adjuvantibus Haereticos vel Judaeos de veritate convincere possumus. His omnibus addimus doctum et profundum Interpretem Sacrarum Litterarum in studio earum consulere debere praeter Vulgatam textus originales eorumque varias antiquas magnae auctoritatis Versiones; sicut ope Polyglottorum Waltonii, Lectionum Variantium Textus Hebraici de-Rossi, et Versionis LXX Holmesii, et Pearsonii nos ipsi facimus, praesertim in locis, quorum sensus anceps et obscurus est, aut in quibus aliqua infidelitas ex parte librariorum vel typographorum subesse videtur; ubi insuper agitur solum de rebus ad eru-

ditionem pertinentibus, ubi vocis vel sententiae alicujus vis investigatur, ubi denique veritati magis roborandae adlaboratur. De caetero in primis cavendum ab ostentatione talium disquisitionum coram populo, quae de regula ipsi potius offensioni quam utilitati esset, dubiis illum involvendo. Idem fecit Origines, pronti testatur *S. Hieronymus* [121]). *In homeliis, quas ad vulgum loquitur, communem editionem sequitur: in tomis, id est disputationi majori, hebraica veritate superatus (stipatus) et suorum circumdatus agminibus, interdum linguae peregrinae quaerit auxilia.*



1) *Apolog de Lib. Arb.*

2) *Epist. ad Pammach.*

3) *De optimo genere interpret et in Eccl.* I.

4) *De consensu Evangel.* L. II c. 66.

5) *Moral.* l. XX.

6) Bianchini *Vind. Can. script.* p. CCCLXII — CCCLXVI.

7) *Biblior. vers. Latinae antiquae* etc. *Praef* in *LL. Eccl. Sap , Mach et Bar.*

8) *Vindiciae* etc. p. CCLXXXIX—CCXCIII.

9) *Praefat. in Judith.*

10) *Praefat. in Vers Dan.*

11) *Vindiciae* p CCXCIV. seqq.

12) Iteram verba faciam de hoc in *Dissertatione Apologetica de Danielis Estherisque additamentorum canonicitate*, quae in lucem prodibit una cum aliquibus *Dissertationibus Apologeticis de divinitate Librorum Deuterocanonicorum Veteris Testamenti*, quae nunc sub calamo sunt.

13) *Vindiciae* p CCCXLVII — CCCLVI

14) *Vid Epist ad Paul et Eustoch* Psalterio praemiss. Op. T X. Col 105. edit. Veron.

15) T. IV. ante *Enarrationes in Psalmos.*

16) T. X.

17) Psalteria Romanum et Venetum aliud non sunt quam duo exemplaria unius ejusdemque recensionis, ut ex accurata multorum psalmorum collatione ipsemet stupens animadverti Sublata Republica etiam in Basilica S. Marci Venetiis psalterium commune seu Vulgatae cantatur.

18) Vide citat. *Epist. ad Paul. et Eustoch.* aliaque loca in S. Hieronymi Opp T. X. col. 105, 104.

19) Placentiae in publica Bibliotheca asservatur Codex pretiosus Psalterii Gallicani scriptus Anno DCCCXXVII. qui a Criticis nunquam consultus fuit. Ad illius illustrationem typis dedi *Epistolam* sub numero XXXII. *Ephemeridum Scientificar. et Lit. Provinciarum Venetarum* quae Tarvisii prodeunt.

20) Edit. Veron. T. X.

21) *Dissertatio in Versiones* Psalter. art. III.

22) *Praefat.* in T. IV. et X.

23) *De Verbo Dei* L. II. c. 9.

24) *Prolegg in Nov. Test.* n. 862.

25) *Praefat.* in T. X.

26) *De Viris illustr.* c. 135.

27) Hody. *de Biblior. Textib. Origin.* etc. p 409

—411; et Fabricy *Titres primitifs de la Revélat* T. II. p. 133, 134

[28]) Hody. *ep. cit.* p 416.

[29]) Hody *op cit.* p. 418. Le Long. *Biblioth Sac.* T. I. sect. I. c. 4. p. 259; et Fabricy *Titres* T. II p. 130, 131

[30]) Hody *ibid.* p. 417.

[31]) Fabricy *op. cit* T. II. p. 132, 141

[32]) Hody. *op. cit.* p. 419—428.

[33]) *Prologus ad Lector.* praemiss. T. I. ejusd. Polyglot.

[34]) Le Long *Biblioth. Sac. T.* I. c. 4, et Brenca *de Latinae edit. auctoritate.* T. I, L. 1 c. 3, p. 61. 63. *Mediolani.* 1781. in 4. n. 11. Dolendum maxime doctum Auctorem morte praeoccupatum tam grande opus ad finem usque perducere non potuisse. Prior tantum Tomus et 384 paginae secundi lucem viderunt. Ab illo relicta in complementum operis valde manca sunt, neque editioni parandae idonea.

[35]) Le Long. *op. cit* T. I. c. 4.

[36]) *Praefat. ad Lector.* quae praecedit Biblia Sixtino-Clementina Ann. MDXCII.

[37]) Genebrard. Chronol. L. IV. p. 752. ann 1585.

[38]) Hug *Einleitung in die Schriften des N. T.* *Stuttgart und Tubingen* 1822. et post illum Cellerier *Essai d'une introduction critique au N. T.* Genève 1823 nos admonent, sicut in aliis operibus non re-

nit, Exemplaria Vulgatae Sixtinae fuisse correcta, dum sub typo erant, proptereaque loca quaedam contecta chartulis, sub quibus impressa est lectio substituta, alia in nonnullis exemplaribus calamo correcta, alia vero non correcta, atque prorsus mendosa observari.

[39]) *Praefat. ad Lector.* Clementinae Biblia praeced. et *Fragmentum act. Congregationis institutae a Gregorio XIV. ad emendat. Bibl. Vulgat.*, quae reperitur in *Collectione Calogerana* T. XXXI. p. 151 — 167.

[40]) Haec praefatio ad lectorem statim ab initio innuere videtur, Clementem VIII. nil nisi errores typographicos Editionis Sixtinae emendasse Rem vero non ita se habere mox postea patescit. Praeterea ad rem admonet Fabricy Titres. T. II. p. 188. Praefationem hanc adscribi Card. Bellarmino, ipsamque omni aestimatione dignam, at auctoritatis longe inferioris illa, quam posset habere Bulla Ecclesiae Universali proposita. *Tantum auctoritatis habet,* ita Serrarius Prolegg. c. 9, *quantam cujusvis docti et pii praefatoris dicta habere consueverunt.* Vide etiam *Les Mémoires de Trevoux Sept.* 1753, vol. II. p. 2218, et *Votum Cardin. Passionei ad D. N. Benedictum XIV. in causa Beatif. Venerab. Servi Dei Cardin. Roberti Bellarmini* Venetiis 1761. num. 26. p. 63 seq.

41) De-Rossi *Catalog. Libr. editor.* a se ipso p. 26 ait in nova impressione Editionis Clementinae Ann. 1593 facta, loca quaedam iterum emendata fuisse. Fabricy *Titres.* T. II, p. 188 insuper asserit novas correctiones in impressionibus typographicis ann. 1598, 1624, 1697 factas fuisse. Equidem credo eas et paucas et leves fuisse. Hinc sufficit sibi comparare aliquam bonam Editionem ad exemplum Clementinae, cujes textus multae est auctoritatis et pro usu publico praescriptus. Pallavicini. *Hist. Concil. Trid.* L. VI, c. 15, n. 2.

42) In opere cujus titulus *Lux de Luce praef. ad* L. III. p. 316.

43) *Bellum papale.*

44) *Antibarbarum Biblicum.*

45) *De Biblior. Textib. orig.* p. 505.

46) *Introductio ad Sac. Script.* §. LXXVII, p. 93.

47) *Sess.* IV.

48) *Hist. Concilii Trid.* L. II.

49) *Idem* Libr. VI, c. 17.

50) *De Vulgata* T. I, p. 67—73.

51) *Hist. Conc.* L. IV, c. 17 in fine.

52) *Vid. Branca op. cit.* T. I, p. 19, 20, 21, 25; et Natalem ab Alexandro in *Saec.* IV. Diss. XXXIX art. 5; *Diss.* XL, *art.* 3.

53) *De Doctr. Chr.* L. II, c. 15.

54) *Epistola ad Florent.*

[55]) S. August. de Civ. LXVIII, c. 43 dicit *illum, Hominem doctissimum et trium linguarum peritum*, et *Cont. Jul. Pel.* Sulpitius Severus (*Dial.*) vocat eum *virum maxime catholicum et Sacrae legis peritissimum etc.* Cassianus Hieronymum appellat (de Incarn. L. VI, c. 26) *Catholicorum magistrum etc.* et Versionem ejus allegans (collat. XXIII, 8) dicit eam *emendatiorem translationem.* S. Prosper ab Aquit. Chron. ad ann. 486 consentienter Cassiano Hieronymum nuncupat *Presbyterum toto mundo clarum etc.* et in Carmine de Ingratis sic illum celebrat. *Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes Hebraeo simul et Grajo Latinoque venustus eloquio morum exemplar, mundique magister — Hieronymus libris valde excellentibus hostem — dissecuit.* S. Eucherius Lugdunensis (*Quaest. Vet. Test. seu Institut. ad Salon. L. I.*) vocat Hieronymi Versionem *recentem translationem divinam.* Idacius (*Praef. in Chron.*) nuncupat S. Doctorem *Syngrapheum perfectum universus factorum dictorumque monimentis.* Ejusdem ad laudem Gennadius ait (Cat. Viror. Ill. art. Hieronymus Gennadio adscriptus) *Danielem quoque Prophetam Caldaico stilo locutum, et Job justum Arabico in romanam linguam utrumque Auctorem perfecta interpretatione mutavit.* Cassiodorus de Instit. c. 21, cogitabat, *S. Hieronymum in translatione divinae Scripturae tantum praestitisse, ut ad hebraeum fontem*

pene non egeamus necedere. A Comite Marcellino (*chron.*) nunquam satis laudatus Stridoniensis Interpres dicitur *Catholicis quidem inexpugnabilis Ecclesiae turris, haereticis autem omnibus infatigabilis hostis tam proposito vitae suae, quam librorum a se editorum depugnans.* A Facundo (t. IV.) appellatur *vir admodum doctus, qui etiam tantae fuerat lectionis ut omnes, aut pene omnes sive in Graeco sive in Latino eloquio divinarum scripturarum tractatores legerit.* Postremo a Pelagio II. honoratur titulo (Epist. ad Eliam Aquilejensem) *singularis Hebraei sermonis interpres.*

[56]) De Civ. L. XVIII, c. 43.

[57]) S. Hieronym. *de vir. illustr.* c. 134

[58]) Saltem Prophetas melius quam LXX Hieronymum interpretatum supponendum, nam (ut ipse ait *praef. in Pent.*) *illi qui ante Christum interpretati sunt, quod nesciunt dubiis sententiis protulerunt: nos vero post passionem et resurrectionem ejus, non tam prophetiam quam historiam scribimus.*

[59]) *Epist.* LXXI.

[60]) Jam initio dissertationis diximus S. Hieronymum Evangelia non jam iterum ex integro interpretatum fuisse, sed tantum antiquam Versionem emendasse, ut cum magna veri specie demonstrat doctus Editor Veronensis opp. S. Hieron. *Praef.* in T. X.

61) Martianaeus *Proleg.* I, *in Biblioth. divinam S. Hieronymi.* N. 4.

62) *In Ezech.* L. I. *Hom.* X, N. 6.; *et in Job. Moral.* Lib. XX, N. 62.

63) *Etymol.* L. V. c. 4, *et Offic.* L. I. c. 12.

64) *Vide* Hody. *de Biblior. Textib. originalib.* p. 399—406.

65) *Critica sac.* L. VI, p. 403, apud Brancam. *De Vulg.* T. I, p. 113.

66) Introductio ad Script. Sacram §. LXXIII.

67) *Praef. in versionem et novum Comment. Psalterii, et Praef. in posterius commentar. Psalterii.*

68) Le Long. *Biblioth. Sacr.* T. I, c. 4, p. 767 —772.

69) *De Vulgata.* T. I, p. 80.

70) Richardus Simon *Disquisitiones criticae de variis Biblior. edit.* c. 23.

71) Idem *Histoir. crit. du nouv. test.* c. 25 et Morin *Exercit.* II, c. 3, N. 3.

72) Prolog. X, in Polyglot. N. ult. p. 74.

73) *Annotat in num* apud Buxtorf. *Vindiciae verit. Hebr.* p. I, c. 8, p. 143.

74) *Ibidem.*

75) *Praef. in Evang.*

76) *Praef. ad annot. in V. Test.* et *Votum pro pace Ecclesiae* p. 674.

77) *Proleg.* X, N. 10, p. 72, col. 1; et *Proleg.* X. in fine

78) *Proleg in nov. Test.* N. 1334.

79) *Ibidem* N. 1208.

80) *Supplem* ad Lexic. Hebr. P. III p. 992; et *Biblioth. Orient.* T. XXI, N. 312 *Introductio* ad N Testam c. VII. sect. XXX.

81) In plurimis locis Tomi I. Operis *de Vulg. Lat. Edit. auctoritate*

82) Notandum hic oppartune, Concilium Tridentinam primum et unicum inter Concilia de authentia Versionis alicujus decretum edidisse. Haeretici praeteritorum temporum auctoritate Versionis, quae in Ecclesia usitata erat, oppugnati, nunquam ipsam rejicere, nec resurgere audabant ad textus originales, ut tanto facilius ad libitum S. Litteras interpretari et facilius simpliciorum mentes animusque a via recta abducere possent.

83) *De veritate corporis Christi contra Zuinglium.*

84) *Le Clerc. in Historia Provinciar Unit.* L. IX, p. 20 et Leusden *Philol Hebr.* mixt. Diss. XI.

85) *Vide* Brauca T. I, p. 203—209.

86) Bellarminus. *De Verbo Dei* L. II, n. 20.

87) Materiae hujuscemodi dignosci et secerni possunt in sacris Litteris praeeuntibus communi fide, Patribus, Traditione, et consensu universali Interpretum Catholicarum, judicioque vel explicito vel taci-

te Ecclesiae, *cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum*, uti pronuntiavit Concilium Tridentinum *Sess. IV.*

[88]) *II ad Tim.* III, 16, 17.

[89]) Protestantes qui Vulgatam errorum dogmaticorum incusant, inspiciant Tactum Nicolaum Zegers (*Crit. Sac.* T. IV in Proleg.); Bellarminum *de Verbo Dei* L. II col. 12, 13, 14; Bekentopem *Lux de Luce*; Mornum et Goldhagenum in *Spicilegio Apologetico praecipuorum novi testamenti locorum quos Novatores nostra in Vulgata accusant*; Spicilegium hoc est in fine ejus *Catholicae novi Graeci Testam. editionis cum variantibus lectionibus, quae demonstrant Vulgatam Latinam ipsis e Graecis nov. test. codicibus hodiernum extantibus authenticam. Moguntiae* 1773, et alios, qui de Theologia tractatus conscripserunt, et in defensione singulorum dogmatum a Protestantibus impugnatorum ostendunt, eos non esse ab illis sic dictos *errores Dogmaticos*, soli Vulgatae, sed etiam textui originali, traditioni et fidei universali et perpetuae Ecclesiae proprios.

[90]) Augustinus ad Hieronym. scribens, ait: *nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse.* Et Hieronym. ipse fatetur se posse impingere et aliquoties quibusdam in locis vere impegisse; lectori-

buaque suis plenam dat libertatem ut, illi vel adhaereant, vel non, eligantque prout melius judicant.

[91]) Titulus ejus est. *Libellus continens alias lectionum varietates in iisdem Bibliis Latinis ex vetustis mss. exemplaribus collectas, quibus possit perfectior reddi feliciter coepta correctio, si accedat Summi Pontificis auctoritas, observatore et collectore Francisco Luca Brugense.* Libellus iste in fine Bibliorum Du-Hamel et aliorum reperitur.

[92]) *Introductio ad S. Scripturam* § LXXVIII

[93]) In Libro *De praecipuis causis neglectae Hebraicar. Litterar disciplinae* p. 93 seq et in *Appendice* ad T. IV. variantium p. 208 seqq.

[94]) In nostra Dissertatione Historico-Critica de *Hora Crucifixionis Jesu Xti.* Brixiae 1824 in 16° collegimus argumenta, quae persuadent legendum esse verosimilius *hora sexta* quam *hora tertia* apud S. Marcum XV 25 et vice versa verosimilius *hora quasi tertia* quam *hora quasi sexta* apud S. Joann XIX. 24 Tamen potius interrogatorio modo quam definitivo scribere intendimus

[95]) Addendum illi est, respectu Vet. Testamenti, *Vetus Testamentum Graecum* (sive versio LXX) *cum variis lectionibus, Oxonii e Typographeo Clarendoniano* 1798—1824 seqq. in folio, Variae lectiones circiter ex trecentis codd. collectae sunt, e quinque praecipuis Editionibus versionis ejusdem, e Graecis Patri-

bus, et e Versionibus ex illis adornatis. Operis hujusce, quod immensi laboris, magnarumque impensarum est, tres Tomi in folio in variis fasciculis prodierunt, prodiit etiam Tomi IV. pars, nempe Prophetae Isaias et Daniel. Nescio utrum in fine T. V. etiam Libri Deutero-canonici sint futuri, qui huc usque omnes desiderantur. Robertus Holmesius incoepit opus et Pentateuchum ac Danielem edidit. Quatuor annis a morte ejus prosecutus est opus Jacobus Parsonius, et adhuc prosequitur. Porro quoad N. Testamentum notae sunt tot editiones criticae ejus textus originalis cum variantibus lectionibus ultimis temporibus adornatae, cui Scholzius aliam brevi superaddet. In nova tamen revisione Vulgatae, quae fieri possit, habenda est ratio eorum quae in *Prol. in N. Testam.* n. 1334 Millius profert.

96) Opportune hic loci aliquid dici potest de duabus difficultatibus quas tractatuum scriptores opponere solent, et in primis de anathemate Sixti V. et Clementis VIII. contra eos, qui eorum Editiones reformare auderent. Hac de causa observandum Clementem VIII. per emendationes Operis Sixti V., in nullo se illi opposuisse, imo votis ejus obsecutum esse, ut apparet e *Praefatione ad Lectorem, quae* initio Editionis ejus exstat. quapropter prohibitio memorata horum duorum Pontificum non est argumentum, Eorum Editiones omni prorsus naevo carere. Vi

constitutionum suarum tantum definire voluerunt Biblia ab Ipsis edita ab omnibus erroribus Dogmati et moribus contrariis immunia esse Anathema vero dixerunt in omnes illos, qui privata auctoritate eorum Editionem perstringere et ejus auctoritati resistere vel se non subjicere auderent. Sapientissima proinde est Eorum prohibitio, dum frenum Editorum licentiae injecerint, et Fideles securos reddiderint, quoad ea quae ignorari nec debent, nec possunt.

Secundo considerationes quaedam instituendae sunt super declarationem quam Leo Allatius anno 1642 typis in vulgus emisit, (*Animadv. in Antiquit Etrusc. p.* 223—225 *Romae*) quam etiam P. Suarez (*de virtut. Theol. Tract. I. de Fide* diss V. sect. II. n. 10) sit manuscriptam se habuisse, et quae insuper postea publici juris facta pluries et a pluribus scriptoribus adnotata fuit (Hody *de Biblior Textib.* p. 518).

Inter cetera in ipsa dictum est *Die XVII. Januarii anni MCLXXVI. Congregatio generalis St. L. A. S. Montalt. Sixt. Caraffam censuit nihil posse, asseverari, quod repugnet Vulgatae Latinae editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula vel syllaba, jotave unum.* Serrarius (Proleg. Bibl. c. 19. scribit opportune de auctoritate illius declarationis *Istius modi declarationum, sive Judicum sententiae, sive Doctorum opiniones, sive sapientum responsa, sive hujusmodi aliud quidpiam sint, auctoritatem uti*

*

par est reverendo, dubitari posse an sine depravatione ac mendo editae sint. Typothetae operaeque aliae ac istorum herus haeretici fuerunt etc. et Brunca (De Vulg. L. I, c. 1; N. 12, p. 31) *aut commentitium est, ait, hujusmodi decretum, quod nullae nisi transalpinae editiones quaedam privata fide ex variis privatorum schedis, aliae aliter collectae, hocque etiam uno suspectae protulerunt; aut expers auctoritatis, quod ex alicujus e Cardinalibus eorumque anagnostis, vel theologis porrecta scripto sententia (quale ego in hanc rem ipsam nonnihil olim in Ms. quodam vidi) fortasse excerptum, neque vel totius Concilii (congregationis) vel ut opus est, summi Pontificis auctoritate firmatum. Profecto vix cuiquam potuisse venire in mentem videtur dictiones, syllabas, apiculos omnes tamquam authenticos retinendos; postquam Canon ille ipse Tridentinus indicavit potuisse editionem illam iterum atque iterum vulgando atque imprimendo vitiari. Id interpretati planissime sunt, cum insignium Academiarum Theologi, qui Canone eo se ad illam perpurgandam excitatos putarunt, tum maxime et Patres ipsi, a quibus sex viros statim editioni castigandae delectos enarrat Sarpius; et summi deinde Pontifices, Pius IV. in primis perfector confirmatorque Concilii, qui ad eamdem Latinarum codicum, et Graecorum, Hebraeorumque fontium usu edendam emendatissime adjecerunt.*

Adnotandum praeterea declarationem hanc, ut fertur factam fuisse 1676, idcirco sub Gregorio XIII cui prouti Pontificibus succedentibus revera cordi fuit emendare Vulgatam, (*Genebrard in Chron.*) talique tempore, quo certo non constat, an *Congregatio pro interpret. decret. Concilii Tridentini* auctoritatem jam habuerit ex officio Decreta et Canones Concilii ejusdem interpretandi. (*Moser de mente Ecclesiae circa absolutionem in articulo mortis a sacerd. schism. vel haeret. collatam. c. 1. Mechlinae* 1819.) Tandem observandum, Declarationem a praedicto Gregorio, sub quo forsitan facta fuit, approbatam non fuisse, imo ei de facto contradictum fuisse a Sixto V. et Clemente VIII., qui Vulgatam cum omni sollicitudine in plurimis locis emendari conati sunt.

[97]) *Hist. Concil. Trident.* L. VI, c. 17.

[98]) *In Saec. IV. Diss.* XXXIX, art. 5; et *Diss.* XL, art. 3.

[99]) Joseph Scaligerus *laudum parcus omnium praeterquam suarum*, ut ait Branca (T. I, p. 82), vocavit illum *divinum virum et sacrarum litterarum facile principem* (Branca ibid.). Et Rosenmüllerus in *Elencho interpretum Jobi scholiis suis in Job* praemisso, sic scribit: *Augustinus Steuchus Eugubinus Hebraicas atque Chaldaicas linguas omnibus ante eum interpretibus peritior extitit. Multus in versione Hie-*

ronymiana defendenda: quo in negotio nec sine acumine nec sine eruditione versatur.

[100]) *Praefatio* ad Lector. in Opere *Veteris. Testamenti ad veritatem hebraicam recognitio, Venetiis* 1529 et in Opere *Vulgata editio an sit Hieronymi* 1534.

[101]) *De Biblior. Textibus orig.* p. 552.

[102]) *Critic. Sac.*

[103]) *De Verbo Dei* L. II, c. 12—14.

[104]) *Lux de Luce.*

[105]) *Spicilegium Apologeticum.*

[106]) Quoad N. Testamentum Michaelius et Griesbachius familiae Codicum Occidentalium, quam sequitur Vulgata, majorem auctoritatem tribuunt, quam familiis Codicum Constaptinopolitanorum id est Luciani, et Alexandrinorum videlicet Hesychii. Sed Hug et magnis discipulus ejus Scholtius contrariae parti favent, quae, si modo criticae magis corresponderet, nec Fidem labefactaret, nec honorem Vulgatae debitum laederet, nec nos ad deferendam lectionem in casu variantium indoceret. Insuper S. Hieronymus *Praef. in quatuor Evangel. ad Damasum Papam, praetermitto, ait, eos codices* (N. Testamenti) *quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in Veteri Testamento post LXX Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit*

emendasse: cum multorum linguis Scriptura antea translata, doceat falsa esse quae addita sunt. Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo est iste, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, Codicum Graecorum emendata collatione, sed veterum. Quae ne multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum quae sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant Qui Hieronymi locus illustratur per ea quae alibi habet. (Cont. Ruf. L. II. n. 17) de *V. T. Alexandria et Egyptus in LXX suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. V.* etiam *De Vir. Ill. art.* Lucianus.

[107]) *Epist. ad Sun; Epist. ad Damasum Papam; Praef. comua in Ecclesiasten etc.*

[108]) Diss de Traduct. et Conservat. Sacror. Libr.

[109]) *Proleg. Bibl.* III.

[110]) Apud Marianam *de Vulg. c.* 21.

[111]) *Prooem. Comment. in Epist. ad Rom.*

[112]) *De Justif.* L. XV, c. 9. Opus ad Cardinalem Pacechum directum.

[113]) Apud Vegam *loc. cit.*

[114]) Testimonia horum Auctorum possunt videri apud Bellarminum *de Verbo Dei.* L. II. c. 10. Apud Natalem Alex. *Saec. IV.* Diss. XXXIX *art.*

5; *Diss.* XL. *art* 3. Apud Hedy. *de Biblior Textibus orig.* p. 511, Apud De-Rossi. *De praecipuis Caussis neglect. Hebr. Litter. discipl.* p 76, etc.

[115]) *Hist. Concil. Trident.* L. VI, c. 15.

[116]) Vide *Regul* III. *Indicis Concil. Trident.*

[117]) Infinitae sunt Dissertationes et Tractatus qui authentiam Textuum originalium demonstrant. Exemplo sunto Waltonius *Proleg. in Polygl.*; Fabrycius *Titres primitifs de la Revelation*; et De-Rossi. *Introduct. ad Script. Sacr.* Egomet ipse hanc sententiam tuebar per 4 annos quibus moderator Studii Biblici eram.

[118]) In Diss. Ms. authentiam Versionis LXX Interpretum propugna. Sixtus V. in Praef. ad celebrem suam Editionem ann 1587 haec habet: *Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, ut vetus Graecum Testamentum juxta LXX ita recognitum et expolitum ab omnibus recipiatur ac retineatur, quo potissimum ad Latinae Vulgatae editionis, et veterum Sanctor Patrum intelligentiam utantur.*

[119]) *Theses* ab eo propugnatae *Journal des Savans* ann 1766, p. 4.

[120]) *De Caussis neglectae etc.* c. XIV, p. 85 Introduct. ad Sac. Script. §. LXXIII.

[121]) *Praef. in Quaest. Hebr.*

